DISSERTATIO CHIRURGICA
INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE HERNIA CRURALI

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS BANKS,

Anglo-Britannus,

REG. COLL. CHIRURG. EDIN. LIC.

NECNON

SOCIETAT. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Aggrediar non tam perficiendi spe, quam experiendi voluntate.

CIC. ORAT. AD BRUTUM.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXIX.

VIRO REVERENDO

THOMAE BANKS,

DE SINGLETON LODGE,

PASTORI MERITISSIMO, VIGILANTISSIMO,

PRAECEPTORI FIDELISSIMO,

SUO PATRI OPTIMO,

QUI OMNIA QUANTUM AD SE ATTINET,

QUAE A PIO PARENTE POTUERINT EXPECTARI,

PROMPTUS CONSTANSQUE

NUNQUAM NON PRAESTITIT;

IN LUCULENTUM DEVINCTISSIMI ANIMI

ARGUMENTUM;

HOC

QUALECUNQUE SPECIMEN INAUGURALE,

EA,

QUA PAR EST

OBSERVANTIA, REVERENTIA,

OFFERT, DIDAT, DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO CHIRURGICA

INAUGURALIS

DE

HERNIA CRURALI.

MEDICINAE et Chirurgiae tam multa communia sunt, ut, sine injuria manifesta, sejungi nequeant: secundum Celsi sententiam: "Illud ante omnia scire convenit, quod omnes partes medicinae ita innexae sunt, ut ex toto separari non possunt." In alio loco dicit: "Ego eundem quidem hominem posse omnia ista praestare concipio; atque ubi se diviserunt, eum laudo, qui quam plurimum percipit." Haud raro accidit, morbos medicos et chirurgicos, ex. gr. colicam vel enteritidem, et herniam incarceratam, in

in eorum symptomatibus, tantam inter se similitudinem habere, ut priusquam dignosci queant, inquisitionem maxime cautam exigant. Hoc et Celsi auctoritate perpensis, ego, ad summos medicinae honores contendens, morbum chirurgicum, pro dissertationis materie, selegi. Tumores praeter naturam ex viscerum abdominis procidentia nati, et in variis locis sese ostendentes, Herniae vocari solent. Circa derivationem vocis Herniae non multum morabor, "ne crambe bis cocta et saepius recocta nauseam moveam." Sive Herniae vocabulum a Latino haerere, seu a Graeco ερνος ramus, (unde Latinorum ramex, quod, cum intestinum incipit descendere, praecipue in scrotum, videtur ramum facere), seu a Sabinorum hernius, quo, quicquid est durum vel asperum designabant, derivatur, criticis et grammaticis statuendum relinquo. Herniosus tumor Graecis Κηλη vocatur, voce prolapsae partis vel loci per quem exiit, addita; hujus, bubonocele et merocele, illius, enterocele et epiplocele, exempla sunt. Vocabulum Herniae, inter Latinos, in

temporibus

temporibus Celsi,* obscoenum fuit et indecorum, Latini vocant ramicem, descensum, et rupturam; sed hoc minus proprie. Veteres omnes Hernias a ruptura peritonaei ortum habere censebant, quod ex derivatione rupturae patet; sed chirurgi recentiores, peritonaeum unquam rumpi, plane negant. Haec Herniae species quam dissertationis materiem selegi, varia nomina a loco per quem viscera elabuntur, merocelen, scilicet, Herniam Cruralem, vel femoralem, accepit. Fateor quidem,

* Celsus, lib. 7, c. 18.

Milites Commodi Imperatoris, praeter alia convicia, quoque eum Κηλητην, Herniosum, vocârunt. Dionis. Hist. Roman, l. 73.

Etiam in temporibus Moseos, abhinc annos circiter ter mille trecenos et octo, Hernia pro corporis vitio habita est. "Nam vitiosus nemo libare debet aut gibbus, aut lusciosus, aut argemam habens, aut scabiosus aut impetiginosus, aut Herniosus." Levit. c. xxi v. 18, 20. Sacr. Bib. ex Sebast. Castell. Interpret.

In nostris temporibus, hic morbus ex medicis et chirurgis omni solicitudine celatur, saepe magno aegri periculo, imo interitu. Saepe velatur, quia plerique homines Herniam sive formae defectum, vel morbum eorum vires et facultatem procreandi frangentem esse autumant. Saepius foeminis velatur ex pudicitia illius sexus propria.

quidem, haud paucos, eosdemque egregios chirurgos, quorum nomina posthac commonefaciam, hanc materiem fusius jam et satis erudite pertractavisse.

Quum vero ad situm et curandi methodum quod attinet, in diversas abeunt sententias, in sequentibus, has primum perpendam, et deinde, pro viribus meis, quae mihi videntur optima, exponam. De aliis Herniae speciebus nonnullas animadversiones faciam, ubi ad Herniae Cruralis pathalogiam illustrandum vel curationem dirigendum juvant. Antequam pathologiam hujus morbi pertractare suscipiam, brevem descriptionem partium affectarum anatomicam moliri, operae pretium esse arbitror. Drelincurtius, loquens de anatomia, ut clavo medicinae certissimo dicit, " Qui anatomes luce atque beneficio non fruitur, morbis tamen gravioribus curandis sese accingit, tanquam nauclerus oculis et mente captus, citra clavum et navigatorium, aestuosum atque procellosum in aequor vela pandit, naufragium tandem misere facturus.' Egregie sane

dictum,

dictum, quis enim, naturali statu non probe cognito, status symptomata morbosi feliciter scrutari, justam diagnosin formare, veram prognosin indigitare, vel remedium salutare afferre poterit?

Expansio tendinea musculi abdominalis externi obliqui praeter suam connexionem cum linea alba, processui ilii anteriori et superiori, nec non pubis ossi inseritur. Varia nomina hujus expansionis inferior margo accepit, ligamentum scilicet Fallopii et Pouparti; hodie, arcus cruralis plerumque vocatur, quia fornicis vel arcus cujusdam formam satis exacte prae se fert. Tendineae hujus expansionis fibrae, obliquo cursu deorsum antrorsumque, in duas partes separantur, quae annuli abdominalis externi columnae vocantur. Harum superior et interior, pubis symphysi, inferior et exterior (quae re vera arcus cruralis est), pubis spinae, nomine tuberositatis aliquando gaudenti, adnectitur. Annulus abdominalis externus columnarum separatione constitutus, in sexu virili, chordae spermaticae, in sexu muliebri, ligamento rotundo

tundo transitum praebet. Paulo fusius et accuratius, arcum cruralem pertractare mearum partium esse existimo, ut descriptionem Herniae Cruralis magis perspicuam exhibere possim. Ejus connexio cum pubis osse, ad spinam vel tuberositatem incipit, deinde pubis cristam sequitur, quae crista, una cum lineae innominatae ilii parte, lineam-ileo-pectineam format.

Cruralis pars arcus, quae pubis spinae vel tuberositati adnectitur, est quasi chorda tendinea; pars, quae lineae-ileo-pectineae adhaeret, forma ad lunam crescentem accedit, cujus firma acutaque margo plane contingi potest, indice vel a cavitate abdominis, vel superiori femoris parte, pone arcum cruralem, ad latus venae cruralis interius, introducto. Haec tertia Domini Cooper insertio est, saepe Gimbernati ligamentum appellatur, propterea quod Gimbernat medicus Hispanicus, omnium primus, ut multis placuit, hanc partem patefecit.* Spatium

* Hanc partem in historia musculorum Albinus accuratissime describit verbis sequentibus: " Se inserit tuberculo quod a superiore eademque priore parte ossis pubis

tium inter cruralem arcum et ossis innominati marginem, arteriis et venis cruralibus, musculis psoae atque iliaci, lymphaticis, nec non crurali nervo, transitum suppeditat. Hoc spatium attamen non in toto impletur; inter musculorum superficiem et cruralem arcum enim vero vacuum haud parvum est, quod abdominis viscerum descensui transitum facilius praeberet, si quaedam membranae defuissent.

Membrana cellularis ab musculorum iliaci et psoae superficie oritur, quae deorsum tendit, et crurali arcui a crista ossis ilii, usque ad externam iliacam arteriam, adnectitur. Hujus pars membranae pone femoralia vasa iter persequitur, et vaginae vasa dicta includentis posteriorem partem format. Haec membrana quae a Cooper fascia iliaca vocatur, impedit, ne viscera abdominis prolabi, adeoque Herniae generari, nisi ad interius venae cruralis latus queant. Alia tenuior membrana ab interna musculi ab-

dominalis

eminet, proximeque spinae quae ab ejus tuberculi latere externo est."—Dr. Barclay on the Arteries.

dominalis transversi superficie originem habet, quae inter descendendum bipartitur et inguinalis initium canalis format. Haec membrana arcui adhaeret, postea deorsum pergit, anteriorem vaginae femoralium vasorum partem datura. Cooper, cui gloria inventionis est, huic membranae nomen fasciae transversalis imposuit. Hae duae fasciae a Colles, Anatomiae et Chirurgiae in Academia Dubliniensi Professore, obducens aponeurosis vocantur, quam infundibulo apte componit, pars cujus patula, ilii cavitatem et inferiorem musculorum abdominis partem tegit, pars cujus angusta deorsum tendit, atque vasorum thecam constituit. Ex allatis, facile intelligi potest, ut viscerum descensus, nisi ad interius venae femoralis latus fieri nequeat; quam inter venam, Gimbernatique ligamentum, apertura parvula est, cui Gimbernatus annuli cruralis, Hey annuli femoralis nomen indidit. Priusquam cruralis situs Herniae probe cognosci poterit, cum haec per cruralem annulum descenderit, anatomicam superioris partis femoris descriptionem praelivare necesse erit. Incisis

cute

cute atque pinguedine, substantiae lamina cellularis condensatae visui se sistit, cui superficialis nomen fasciae datur. Haec fascia musculum abdominis externum obliquum operit, et infra inguen se extendit. Cooper* minus proprie dicit, hanc fasciam crurali arcui firme adhaerere: Quod si ita sit, haud fieri queat, ut Hernia Cruralis unquam in arcum reflecti posset; adeoque Herniam inguinalem unquam mentiretur. Hac cellulari substantia amotâ, tendinea aponeurosis se offert, quae fasciae latae nomine gaudet. In superiori femoris parte, fascia se dividit. Altera divisio, musculos parti femoris exteriori vel iliacae incumbentes tegit, altera, musculos a pubis osse originem trahentes operit; haec, vasis femoralibus subit, donec e conspectu evadat; illa, femoralia vasa, praeter interiorem venae partem velat, atque portione pubica altior est sita, praesertim in vasorum vicinitate, ubi ejus connexio cum arcu crurali, in marginem formâ falcatam lunam† referentem, desinit.

 Pars

* Cooper, part ii, p. 2.

† Allano Burns haec pars sub nomine processus falcati minute describitur. Ed. Med. and Surg. Jour. vol. ii.

Pars lunata aliis alia firmitudine est; interdum densa est et firma, interdum adeo tenuis, ut saepe inter dissecandum simul cum superficiali fascia submoveatur. Falcatus iliacae partis fasciae processus, Gimbernatique ligamentum, femore recto et abducto, tenduntur, flexo et trans ad aliud femur lato, remittuntur; partium utralibet harum incisa, mutua tensio aliquatenus subvertitur. In Herniarum formatione, peritonaeum fere omnia abdominis viscera ambiens, cum dictis visceribus descendit et prolabitur. Peritonaeum prolapsas partes includens, Herniae saccus vocari solet. Interdum duo vel plures sacci sunt. Non semper eadem sunt viscera quae in sacco includuntur, sed subinde alia atque alia. Et inter illa, quaedam frequentius, qualia omentum et intestina, quaedam rarius prolabuntur, talia sunt vesica,* testiculusque,† &c. Observatu est dignum, quaedam viscera, vesicam scilicet, caecam huic partem

Hanc partem in prima suarum Chirurgicarum Observationum editione *ligamentum femorale Hey vocabat.*

* Verdeir's Memoir, p. 23.

† Journ. de Med. vol. xvi.

tem coli proximam, et sigmoideam flexuram, peritonaeo non in totum circumdari: ideoque his partibus prolapsis deerit saccus completus. Cruralis tumor Herniae, ut plurimum, tam perexiguus est, ut juglandis magnitudinem raro excedat. Exceptiones enim vero subinde occurrunt.*

TUMORIS DISSECTIO.

Integumentis superficialique fascia incisis, fascia lata deoperitur. Ad situm quod attinet, quem fascia lata et herniosus tumor inter se habent, chirurgi in sententias abeunt diversas. Alii

* M. de la Faye asseverat, Hernias Crurales ad mediam femoris partem dependisse. Dr. Hull Herniam Cruralem instar infantis capitis conspexit. Med. and Phys. Jour. v. xi. Hey dicit se vidisse tumorem ad medium femur dependere. Surg. Observ. p. 235, 3d edit.

Dr. Thomson in suis praelectionibus exempli huic similis mentionem facit. Wood's Essay, p. 11

Lawrence de tumore meminit, cui circumferentia pollices circiter viginti et septem fuit. Lawr. on Rup. p. 3.

Alii, inter quos eminent Cooper* et Lawrence,† tumorem ante, alii ut Hamilton,‡ Bell,§ et Scarpa,|| pone iliacam partem fasciae situm esse affirmant. Quî fit ut chirurgi perquam experti in hac re a se invicem maxime differant? Ut mea fert opinio, quae primo aspectu paradoxa appareat, hae duae sententiae inter se adeo repugnantes intra certas fines sunt accuratae. ¶

Ego, partium anatomia affectarum in naturali statu bene perpensa, adducor ut credam, tumorem aliquando tam parvulum esse, ut lunato fasciae latae processu in totum tegatur, etiam cum e vasorum theca evaserit. In omnibus veruntamen exemplis, num tumor parvus sit an amplus, aliter fieri non potest, quin pubalis latae fasciae pars pone tumorem sit sita.

arcum

* Cooper, part ii, p. 76.

† Lawrence, p. 382.

‡ Ed. Philo. Trans. vol. iv.

§ Bell Op. Surg. v. i, p. 294.

|| Scarpa by Wishart, p. 249.

¶ Noster Professor Monro, Tertius, tumoris situm in ejus sexta varietate accuratius describit.—Morbid Anat. of Gullet, &c. p. 483.

Tumor attamen si amplus sit, et super cruralem arcum reflectatur, sine dubio pone superficialem fasciam, et ante lunatum processum, illamque fasciae latae partem ex crurali arcu sursum tendentem jacebit. Cellularis membrana peritonaeum abdominis parietibus laxe connectens, Herniae saccum per cruralem annulum comitatur, et eundem circumcingit. Haec membrana spurius Herniae saccus proprie appellata fuisset, nam vere exclametur, fasciarum " O! jam satis fuit." Cooper hanc membranam, fasciam propriam vocat. Ad posituram quod attinet, quam saccus, arteria epigastrica et obturatoria inter se habent, multum differt, propterea quod harum arteriarum origo alia aliis est. Epigastrica arteria, ut plurimum, ab externa iliaca prius emittitur, quam vasorum thecam haec intrat: paululum descendit, deinde sursum et introrsum ad posteriorem musculi recti partem iter persequitur; inter ascendendum ab Herniae sacco digitum circiter transversum distat. Arteria obturatoria plerumque ex interna iliaca emittitur, interdum vero simul cum epigastrica originem

originem habet.* Obturatoria arteria una cum epigastrica orta, ut plurimum, ad exterius sacci latus, versus foramen obturatorium pergit. In omni cadavere quod Cooper incidit, arteria obturatoria sic orta, in pelvem ad exterius sacci latus perrexit. Veruntamen Doctor Barclay praeparatum anatomicum habet, in quo obturatoria arteria sacci collum circumdat. Wardrope† quin etiam inter cadaver Lutetiae incidendum, cruralem herniam in utroque femore reperit; quarum ambabus cursus obturatoriae fuit omnino similis. Spermatica chorda ligamentumque teres in anteriorem et interiorem tumoris partem cursum dirigunt.

CAUSAE

* Haller, Lieutand, Richter, Murray. Monro, Outlines of Anat. vol. ii.

† Ed. Med. Surg. Jour. vol. ii.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Foeminis familiarior est haec Herniae species, quia annuli inguinales in his angustiores esse quam in viris observantur. Huic accedat, quod Monro tertius, omnium primus patefecit, annulum scilicet cruralem, in sexu sequiori quam virili ampliorem esse, quippe quia interna curalis arcus pars, lineae-ileo-pectineae adhaerens, in mulieribus quam viris angustior, ossa pelvis grandiora, atque musculi iliaci et psoae graciliores sunt. Foeminas, quae Lucinam invocaverint, quam quae non, Hernia Cruralis saepius infestat, propterea quod cruralis arcus frequenti partu remittitur. Debilitas quocunque modo nata, nimium caloris ut in calidis regionibus, senectus, diaeta aquosa, innata mala confirmatio * homines ad Herniam proclives reddunt.

CAUSAE

* Hildanus Cent. vi, Ob. 73, et Valescus de Taranta, lib. vi, ch. 7, herniosas familias et herniosos filios ad tertiam progeniem natos observasse asserunt.

CAUSAE EXCITANTES.

Ictus validiores abdomini illati, vel homine, vel equo calcitrante, &c. Ingens aeris cohibitio, in qua diaphragma deorsum premitur, et musculi abdominis ad interiora agunt; hinc abdominis viscera fortiter comprimuntur, quod in oneris gravioris elatione et gestatione, in nixibus fortioribus ad Lucinae vel Cloacinae templum contingere videmus. Corporis concussiones, ut casus ab alto, saltatio, et equitatio; omnia viscerum incrementa, ut ventriculi et intestinorum inflatus, graviditas;* omnia abdomen comprimentia, ut vestimenta nimis arcta, &c. Herniae causam praebeant.

DIAGNOSIS.

* Interdum Hernia Cruralis per graviditatem evanescit. Cooper, part ii. Nuck's Physiol,

DIAGNOSIS.

INTER Herniam Cruralem, et alias morbosas corporis affectiones, saepe difficiliter distinguitur Ad veram diagnosin faciendam, symptomatibus quae morbo praegressa fuerint, et quae adhuc comitentur, diligentissime attendendum est. Cruralis tumor Herniae aliquando tam parvulus est, ut a sexu magis casto non percipiatur. Rebus ita se habentibus, si tumor stranguletur, symptomatum causa medicum chirurgiae imperitum, ad herniosam arcessitum, latebit. Hic symptomata a colica violenta vel enteritide oriri autumabit; aegrotaque infelix ad orcum demittetur, vera morbi causa incognita. "Omnes partes medicinae adeo innexae sunt, ut ex toto separari non possunt." "Ὁδε ην μεν αρκεσει πρός το οφθηναι εξαρκεσει και προς το ιασθηναι." Hipp. de Arte. —Cuique medico ad mulierem incarceratae symptomatibus Herniae laborantem arcessito, diligenter inquirendum est, num sit tumor in inguine.*

* Arnaud dicit sibi esse compertum multas foeminas ad

Ex colica vel idiopathica enteritide, sequenti nota, plerumque incarcerata Hernia distingui potest; in Hernia, tumorem dolor primum invadit, in eodemque maxime acutus est. Tumida glandula Cruralem Herniam saepe imitatur. In chirurgicis observationibus Gooch † et Hey,‡ quorundam chirurgorum fit mentio, qui Cruralem Herniam, pro abscessu habitam, aperuerunt. Sabatier‖ ingenue confitetur, bubonem Cruralem Herniam imitantem, semel ipsum fefellisse. Cooper § meminit de viro in Guidonis nosocomium admisso, Crurali Hernia laborante, cui ex chirurgi Herniam esse bubonem judicantis praescriptione, cataplasmata applicata fuerant. Alius Cruralis

plures abiisse, quippe quae tam permodestae essent, ut chirurgum de sua conditione non certiorem facerent. Ex hoc dominam Guito suam discipulam facere inducebatur, ut mulierum Hernias curaret .Hinc colligatur quam pernecessarium est, chirurgum foemineas asseclas interrogare, si in muliere strangulatae Herniae symptomatibus laborante, herniam suspectam habeat.

† Cases and Remarks in Surg. vol. ii, p. 206.

‡ Hey's Obs. in Surg. p. 224, 3d edit.

‖ Med. Oper. p. 147.

§ Part ii, p. 8.

CruralisHerniae exempli mentionem facit, quam ab errore haud absimili chirurgus infeliciter incidit. Laurence || nos certiores facit sibi esse notum, chirurgum suae artis minime imperitum, bubonem esse Cruralem Herniam male putavisse.

Else * quondam Cruralis tumorem Herniae pone tumidam glandulam reperit. Inter Herniam et tumidam glandulam sequentibus signis distinguendum est. Glandulae post coitum impurum saepissime tumescunt, quousque non in suppurationem abeunt, durae et nodosae sunt, crescunt gradatim, spiritu retento non augentur, in abdomen pressura repelli nequeunt, functiones intestinorum minime afficiunt. Herniosi contra tumores fortiores nixus plerumque sequuntur, ex tussi vel spiritu retento incrementum capiunt: aegro resupinato, vel manibus leniter iis injectis, in abdomen retrocedunt.

Si de tumore cum incarceratae symptomati-

bus

|| Laurence on Rupt. p. 391.
* Lond. Med. Obs. and Enquir. vol. iv, p. 355

bus Herniae in inguine locum tenente quaestio moveatur, solitis Herniae remediis incassum adhibitis, chirurgum tumorem nudare, ejusque naturam explorare oportebit. Ut supra dictum est, Cruralis Hernia aliquando bubonocelen mentitur. Sequentibus signis, plerumque inter se dignosci possunt. Sacci Cruralis Herniae collum, infra cruralem arcum, inguinalis contra, supra situm est. Cruralis tumore Herniae deorsum tracto, arcum supra sacci collum situm esse, constabit. Interdum vero, propter inflammationem praegressam, vicinis partibus tumor tam firme adhaeret, ut deorsum duci nequeat; re ita se habente, arcu idonea femoris positione remissa, sacci cervicis exploratio cum digitis instituenda est. De chirurgia scriptoribus * exempla referuntur, in quibus Hernia inguinalis et femoralis eodem latere simul adfuerunt, interdum tumores a se in vicem separati fuere, interdum tumor alter sub altero latuit. Carolus

Bell

* Ludwig. Advers. Med. Pract. vol. i, p. 348. Arnaud. Mem. de Chir. t. ii, p. 607.

Bell† in suis Chirurgicis Observationibus, exemplum profert, in quo Hernia Cruralis sub inguinali latuit, et mortem fecit. Cruralis Hernia cum lumbari abscessu confundi potest. Eorum ortu atque progressu, inter hos morbos, haud difficiliter distinguendum est. Vena nonnunquam femoralis et saphena ‡ tam mirifice tumescunt, ut Cruralis speciem Herniae prae se ferant. Venarum tumor id cum Hernia commune habet, ut a situ horizontali vel manibus injectis evanescat, sub tussi et nixu extendatur; inter hos enim vero morbos hoc potissimum discrimen est, quod, aegro resupinato, venarum tumor iterum proveniat, digitis venae crurali supra arcum cruralem injectis. Cruralis locum Herniae adiposi tumores ⊥ et hytadides § aliquando tenent. Morborum historia symptomatibusque observatis, a se invicem fortasse satis facile distingui poterunt.

PROGNOSIS.

† Part ii, p. 167.

‡ Cooper, part ii, p. 9. Petit Tr. des Mal. Chirurg. t. ii, p. 299.

⊥ Cooper, part ii, p. 9.

§ Desault's Chi. Jour. t. i, p. 252. Monro on Crur. Hern. p. 80.

PROGNOSIS.

HERNIA Crurali laborantes longe gravius periclitantur quam qui inguinali affliguntur, quoniam in crurali quam inguinali strangulatio est frequentior, annulus utpote per quem illa exit, angustior est et firmior, partesque prolapsas arctius constringit; hinc sequitur, ut in Hernia Crurali, strangulationis symptomata velocius accedant, intestina saepius refundi nequeant, et operationis procrastinatio sit magis perniciosa. In Hernia vetusta quam Hernia recenti mitior equidem noxa et minus subest periculum. Minus plerumque graviter homines periclitantur, qui ex proclivitate hoc morbo implicantur, propterea quod partes viscera constringentes solutae et remissae sunt. Aegro majus ex intestino prolapso imminet periculum atque omento, intestinum quoniam sensus est exquisitioris, ejusque functiones ad vitam sunt magis necessariae. Pro diversa aetate, varia est prognosis. Juni-

ores

ores gravius periclitantur quam natu grandiores, quoniam in his quam illis corporis habitus sanguinisque impetus magis languidi sunt, ideoque incarcerationis symptomata tardius procedunt. Cum vehementia inflammationis symptomata aegrum invaserint, vel cum eo res devenerit, ut tumorem gangraena occupet, chirurgum oportet, dubii astantes eventus satis et serio praemonendo, se prognostico munire, rebus enim ita se habentibus, pes aegri alter in Charontis cymba titubat.

DE HERNIA MOBILI EJUSQUE CURATIONE.

Hernia mobilis vel libera vocari solet, cum partes prolapsae in abdomen refundi possunt, aegro resupinato, vel manu tumori quam lenissime injecto. In Hernia mobili, cura omnis eo imprimis spectat, ut viscera prolapsa in abdomen refundantur, et firmiter, ne iterum prolabi queant,

queant, bracherio apto intus contineantur. Si bracherium non gestetur, excitantibus causis denuo applicatis, incarceratae periculo Herniae aeger exponetur. Bracherii gestatio palliativam curationem tantum affert. Ad perfectam vel radicalem, ut vocant, curationem efficiendam, multa conamina fuere instituta. Ad hunc scopum attingendum, veteres chirurgi, atque ante omnes, empirici et circumforanei pharmacopolae ad remedia herniosis acerbissimum dolorem facientia atque ad periculosissima operationum genera, humanitati quam maxime repugnantia, confugerunt.

> "Fingunt se medicos omnes idiotae, sacerdos,
> Judaeus, monachus, histrio, rasor, anus."

Talium autem remedia silentio praeteribo; nam

> "Pudet haec opprobria nobis,
> Et dici potuisse, et non potuisse refelli."

Mihi tamen magnam voluptatem praebet, curationis mentionem brevi facere, quae in hac civitate,

civitate, ab Allan chirurgiae, et Lizars anatomiae praelectore, cum felicissimo eventu nuper adhibita est. Forte quercini corticis decoctum caloris ope evaporetur, donec redigatur ad syrupi spissitudinem, linteolum deinde syrupo adhuc calido illinatur, quod aperturae, per quam viscera elapsa sunt, applicetur. Ter quaterve in dies remedium renovetur, et aeger inter usurpandum, bracherium gestare debet. Modus quo hoc remedium operatur, in Crurali Hernia explanatu difficilis est. Vix fieri potest, ut tendineae cruralis annuli partes per astringentes hujus remedii vires angustari vel constringi possint. Calidum emplastrum fortasse, una cum remotione bracherii frequenti, applicatione ejusque repetita, eam vasorum excitationem indu-

* Plouquet in literatura ejus medica digesta ad externos auctores relegat, qui ad curationem Herniarum radicalem efficiendam, corticem quercinum adhibuerunt.

" Dessessart in Seances saccos ex pulvere subtilissimo corticis quercini vino imbutos eas radicaliter sanare."

Berstein epithemata corticis quercini cum vino rubro.

Piderit prastische annal. cortex quercinus vino topice sanans.

cat, quae glutinosae partis sanguinis circa cruralem annulum depositionem facere possit. Haec vasorum excitatio fortasse ad saccum se extendat, ejusque internas superficies coalescere faciat.

DE HERNIA IMMOBILI.

HERNIA immobilis vel adhaerens vocari solet, cum quamdiu prolapsae partes suis muneribus perfunguntur, nulla ratione refundi queunt. Viscera elapsa refundi non possunt, quandocunque mora temporis incremento augentur, firmius post modum compinguntur, inter se adhaerentes fiunt, vel cum sacco ferruminantur. Scarpa, nemini in pathologicis observationibus secundus, varios modos copiose enumeravit, in quibus elapsae partes praeter naturam coalescere solent. Cui adhaerentis Herniae infortunium incidit, multis incommodis atque periculis nunquam non objicitur. Incarcerationis intestinorum,

norum, eorundemque rupturae ex casibus vel ictibus, ulcerationis ex aciculis vel id genus caeteris, in ventriculum assumptis, aegro pericula imminent. Ad curationem Herniarum magnarum atque immobilium quod attinet, quaedam prostant exempla, in quibus prolapsa viscera aegri detentione in lecto, venaesectione, parca diaeta et purgativis, liberata fuere.

Horum operandi modus remediorum a corpore laxato, prolapsisque partibus attenuatis, pendet. Arnaud * hanc materiam ad fabulam sequentem ingeniose applicavit.

Forte per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cameram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra:
Cui mustela procul, si vis, ait, effugere isthinc,
Macra cavum repetas arctum, quem macra subisti.

Cooper aliquando tumori glaciem cum felicissimo eventu apposuit. Hernia in ventrem compulsa, curationem eandem esse oportet, quam

* Arnaud on Rupt. p. 297.

quam in Hernia mobili proposui. Bracherio, post magnae reductionem Herniae, affectae parti applicato, evenit interdum, ut symptomata maxime urgentia, veluti nausea et vomitus, Herniosum tentent. Cum res se ita habent, bracherium amoveri debet, et visceribus iterum prolabi permittendum est. Si Hernia refundi non potest, ex re non erit aegrum excavatum bracherium gestare, quod non modo non tumorem fulciet, quoque autem impediet, ne amplius augeatur.

DE HERNIA INCARCERATA VEL STRANGULATA.

Notatu est dignum, quosdam chirurgos, Carolum Bell scilicet et Scarpa, inter incarceratam Herniam et strangulatam distinctionem facere. In Hernia incarcerata, intestinum quasi in carcere detinetur; vasculis ejus non constrictis, aere et excrementis ita extenditur,

ut

ut refundi nequeat. In strangulata Hernia, intestinum quasi laqueo stringitur, vascula ejus enim adeo comprimuntur, ut sanguis vix aut ne vix quidem affluere et refluere queat. In hujus Hernia generis, sequentia signa se manifestant. Tumoris dolor totum abdomen pervadens, nausea, vomitus primo ingestorum et contentorum ventriculi, deinde varii liquaminis, pertinax plerumque alvi obstipatio, oculi suffusi, vultus rubescens, pulsus durus, cutis arida, sitis, anxietas et inquietudo; cito tumor magis tensus fit, vomitus stercoraceus ingruit; abdomen pressum maxime dolet; nisi aegro mature succurratur, tumoris tensio et dolor decrescunt, vomitus vice singultus supervenit, frigidi sudores corpus humectant, pulsus debilis et parvus fit, eodem tempore saepe intermitti sentitur, tumor cum mollitie quadam nigrescit, vel maculas lividas aut nigricantes exhibet, oculi turbati et veluti cornei videntur, cruciatus se remittunt, alvus descendit, et tumor plerumque sponte recedit; denique, spasmodici rigores et subsultus tendinum, certissimi mortis prodromi,

aegrum

aegrum de medio tollunt. Herniae incarceratio in speciem acutam et chronicam haud inepte dividitur: his accessit spasmodica species. Affectarum enim vero anatome partium perpensa, spasmodicam stricturae speciem in Crurali Hernia nunquam eventuram esse, plane constabit. Acuta incarceratio fortiores nixus ut plurimum sequitur, atque juvenes et robustos praecipue invadit. Inflammationis symptomata mox accedunt, partesque affectae in gangraenam tam citissime abeunt, ut mortem hernioso, intra vicesimam et quartam horam * post intestina prolapsa, afferant. Aliquando post incarcerationem inceptam, intra horam octavam,† sextam, vel quintam ‡ Herniosus diem obiit. Unum proditur exemplum, || in quo secunda hora postquam Hernia nata esset, aeger animam efflavit. Chronica incarceratio ab aere et excrementis in tumore retentis nata, in ve-

tustis

* Pot. Surg. vol. ii, p. 95. Hey, p. 128.

† Cooper, part i, p. 26.

‡ Arnaud on Rupt. p. 120.

|| Larrey's Mem. de Chir. Mil. t. i, p. 196.

tustis Herniis ut plurimum obvia est; per nonnullos dies maneat, priusquam decursum peregerit.

Ex prolapsorum constrictione viscerum strangulationis symptomata oriuntur. Constrictionem plerumque Gimbernati ligamentum facit. Interdum falcato fasciae latae processu viscera comprimuntur. In vetustis Herniis sacci cervix peritonaei saepe adeo angusta fit, ut viscera strangulet. Partes in Herniae sacco contentae se invicem subinde incarcerant. Scarpa * varios modos luculenter enumeravit, quibus omentum intestina constringat. Intestinorum circumvolutiones et fasciae praeter naturam haec ambientes strangulationem aliquando inducunt. In strangulatae curatione Herniae, eo opera navanda est, ut prolapsae partes, quam primum fieri potest, strictura liberentur et naturali situi restituantur. In hunc finem, ad operationem, plerumque taxim vocatam, progrediendum est. Ut

* Scarpa by Wishart, 2d mem. p. 15–20.

Ut hoc scopo, taxi nempe, potiamur, praeparationem praeviam, quâ mediante, cruralis annulus quam maxime relaxetur, instituere convenit. Hoc consilio, aeger collocetur supinus, capite et pelvi a pulvinis elevatis, femore affecti lateris sursum versus abdomen lato, et genu introrsum flexo. Cum in arcum cruralem tumor reflectitur, si fieri possit, in cavitatem ad superiorem femoris partem deorsum prematur. Si incarcerationis symptomata non sint valde acuta, digitis super tumorem quasi in circulum agitatis, aer vel alia contenta leniter et pedetentim exprimantur: hoc peracto, ad renixum evitandum quem viscerum reductioni Gimbernati ligamentum offerat, tumor sursum et aliquanto extrorsum prematur. In acuta juvenium strangulatione, cum tumor et abdomen maxime dolent, ad taxim nunquam confugiendum est, donec ea adhibita fuerint remedia, quae ad dolorem et generalem febrim diminuendum juvent. De hujus utilitate praecepti, recentes de Hernia scriptores uno ore testantur. Tumorem enim jam sub tactu dolore affectum, semel iterumque

contrectando

contrectando atque comprimendo, inflammationis symptomata gravescunt, et gangraenae ansam praebent. Varia remedia Herniae reductioni opitulantia silentio praeteribo, quippe quae ab aliis satis superque jamjam descripta fuere: nihilo tamen secius, notatu est dignissimum, remedia incarcerationi maxime opitulantia, veluti sanguinis missionem, balneum tepidum, Nicotianae tabaci enemata, frigoris applicationem, in Crurali Hernia cito et strenue adhibenda esse, "omnis enim mora et tardior remediorum usus semper damnosus et saepe exitialis erit." Omnia haec remedia, enim vero, in Crurali Hernia saepe frustra adhibentur, nam partes elapsae ita constringuntur, ut non, nisi ab operatione, liberentur. Satis veruntamen arduum est tempus definire in quo institui debet operatio; in universum autem aliqua festinatio nimiae morae anteferenda est. Exitiales morae effectus in Cooperi animum tam alte descenderant, ut eum denunciare inducerent. "If I were myself the subject of Crural Hernia, I should only try the effects of

 tobacco

tobacco clysters; and if they did not succeed, I would have the operation performed in twelve hours from the accession of the symptoms.

Justum vero tempus operationis instituendae ex incarcerationis duratione minime pendere debet, cum nonnullae Herniae incarceratae, ut supra dictum est, in octo, sex, vel duabus horis lethales evadunt; aliae, vicenis quatuor vel pluribus horis elapsis, reductionem admittunt; sed de solis symptomatum indole et vehementia pendere debet.

OPERATIO.

OPERATIO.

Aegro super lectum vel mensam collocato, corpore horizontaliter jacente, humeris tamen aliquanto elevatis, lotio emisso, et crinibus, si adsint, abrasis, cutis sectione femorali venae parallela, et digitis transversis duobus supra cruralem arcum, ad inferiorem tumoris partem tendente, incidatur. Transversa deinde incisio, crurali arcui parallela, hoc autem digitum circiter transversum inferior instituatur; superior angulus diduci, et in cruralem arcum reflecti possit. Si vasculum quoddam sanguiferum incidatur, et sanguinis multum effundat, more solito ligetur. Simili modo duae cellularis membranae laminae, fascia superficialis scilicet et propria, secandae sunt, si chirurgorum, qui morbosa structurae mutatione neglecta, normas praescribunt, consilio obtemperandum sit. Hujusmodi tamen consilium minus utile, imo damnosum est; chirurgus enim vero magno errore teneatur, si judicato peritonaei saccum, post duarum cellularis membranae laminarum divisionem,

sionem, nudatum iri, operationem institueret. Fascia propria fasciaque superficialis interdum inseparabiles et ita tenues sunt ut simul et semel incidantur. Arnaud dicit;—" Je fis l'operation d'une Hernie Crurale à une femme de 40 ans, en presénce de Messieurs Chauvin et Talin; il ne se trouva pas la moindre apparence de sac herniaire; il avoit etè si aminci et il étoit si intimement uni à la membrane adipeuse, que le Boyau se trouva à decouvert par mon premier coup de bistouri." Interdum vero hae telae cellulosae, praesertim in vetustis Herniis, adeo crassae sunt ut plures laminas offerant. "Incisis integumentis saccus apparebat maximae crassitiei, ita ut xii ad xvi laminae cellulosae maxime condensatae auferri deberent, antequam internam sacci plagam attingere possem."* Ex allatis patebit, illum chirurgum prudentissime facturum esse, qui laminas ex ordine caute secabit, donec peritonaei saccum vel partem elapsam nudaverit. Quo facto, sacci pars, si hic adsit, digitis prehendatur,

* Callisen de Hernia crural. Act. Hav. vol. ii.

hendatur, qui in se mutuo moveantur, ut intestinum a sacco peritonaei dignosci possit. Sacci deinde fundo, scalpello horizontaliter adhibito, exiguum vulnus infligatur, ut specillum sulcatum vel digitus immitti queat, cujus ductu, usque ad processum falcatum saccus incidatur. Sacco aperto, serosi paululum fluidi plerumque evadit. Deinde scalpello modice curvato bistouri vocato, et obtusa apice praemunito, subter processum specilli sulcati vel digiti ductu immissum, sursum et introrsum usque ad cruralem arcum falcatus processus dedoletur. In hoc faciendo, si arcus ipse non persecetur, spermatica chorda et rotundum ligamentum ex scalpelli periculo evadent. Hoc peracto, si partes elapsae refundi non possunt, proximum est, ut Gimbernati ligamentum incidatur. In hunc finem, si fieri potest, ad exteriorem sacci superficiem ligamento quam proxime, specillum sulcatum vel digitus introducatur, deinde super digiti unguen vel specilli sulcum incurvum scalpellum immittatur, cum quo versus pubem horizontaliter adhibito, ligamentum

gamentum secetur. Paucis ligamenti fibris tantum discerptis, ut plurimum, satis spatii acquiritur, quod elapsarum repositionem partium admittat. Aliquando enim vero specillum sulcatum vel digitus inter Gimbernati ligamentum et saccum herniosum immitti non potest, saepe enim ex inflammatione praegressa, inter se coalescunt. Si haec Gimbernati ligamentum incidendi methodus semper procederet, arteria obturatoria, etiam si saccum circumdaret, nunquam non in vado foret, scalpellum enim inter arteriam et ligamentum ponetur. Quod si vero, hoc confecto, prolapsae partes refundi nequeunt, colligendum sit, ut ejus contenta sacci cervix constringat. Re ita se habente, cum scalpello incurvo et globulo praemunito, sinistrae indice manus vel sulco specilli ducto, sacci collum incidatur. Incisio ad praebendam elapsarum partium repositionem necessaria adeo parvula est, ut arteriam obturatoriam etiamsi in pelvem prope cruralem annulum descenderet, in discrimen non adducat. Per hanc operationem, si fieri potest, melius est scalpellum digito

quam

quam sulcato specillo duci, quoniam illo adhibito, situs vasorum pulsatione arteriosa dignoscendus exploretur.

Haec operandi methodus ab illa Gimbernato proposita aliquatenus differt, hic enim partes sublimes atque profundas semel atque simul incidit. Gimbernati autem operationi, ut ego opinor, operatio jam mihi proposita, propter sequentes rationes praestat. In prima operationis parte, falcatus processus et apertura per quam Hernia evadit, perspicue videntur: processu sursum et introrsum usque ad cruralem arcum inciso, ad Gimbernati ligamentum accessus magis patet, ob hanc rem, intestina a scalpello minus periclitantur. Operatio, quam ego defendo, ab illis Hey et Cooper excultis quoque distat. Ex illa quam Hey exercet, sexus virilis spermatica chorda in discrimen adducitur. Transversam sectionem supra cruralem arcum prius instituendo, et chordam deinde specillo curvo elevando, Cooper cavet ne haec vulneretur; sed re sic gesta, duplicis dolorem

operationis

operationis herniosus subit. Alia operandi methodus proposita fuit, ut obturatoria arteria, si forte herniosum saccum circumdaret, scalpello minus laederetur. Ad hoc propositum, supra cruralem arcum cum sectione huic parallela, musculi externi obliqui aponeurosis incidatur, deinde curvo scalpello ex hac apertura in cruralem annulum sulcati ope specilli immisso, Gimbernati ligamentum dedoletur. Licet hic operandi modus sit satis ingeniosus, eum tamen administratu esse perdifficilem, imo etiam aliquando fieri non posse, experientia, fida rerum magistra, satis docuit.

"Incidit in Scyllam dum vult vitare Charybdim."

Ut ex hac digressione revertar, cum omnes externae stricturae incisae fuerint, scrutari necesse erit, an stricturis intus saccum formatis elapsae partes comprimantur: his, si adsint, divisis, prolapsa viscera si adhaesionibus vacua et non morbosa sint, lente et absque violentia in abdominis caveam reprimantur, primum mesenterio et intestino, deinde omento reponendo. Inter hoc

faciendum,

faciendum, femur semper flectatur. Si adhaesiones praeter naturam se offerant, digitis vel scalpello earum separatio efficiatur. Coloris intestinorum mutatio in rubrum subfuscum, vel plumbeum, ex sanguinis remorâ in venis orta, minime repositioni obstat. Si omentum vel intestina gangraena occupaverit, aegros sine omni fere spe vel medela interire non patiendum est; nam in morbis, qualis hic est, secundum principum medicorum, Hippocratis scilicet et Celsi, praeceptum; "melius est anceps experiri remedium quam nullum." Chirurgus autem, priusquam remedium afferre suscipit, se prognostico munire debet. "Nam tanta est medicorum infelicitas, ut vix evitare possint infamiae notam, etiamsi exquisitissime aegros tractent juxta medendi methodum. Ultimo quippe remedio inconsideratissime imputatur eventus, si ob vim morbi hic sit sinister, non accusatur morbi gravitas sed remedium." Si omentum gangraena corruptum, induratum sit, vel crassius fiat, quam ut refundi queat, scalpello abscindendum est. Si vasa discindantur, et sanguinis multum effundant, more solito li-

 gentur.

gentur. Consuetudo omentum supra ejus vitiatam partem lino constringendi, improbari nimium non potest. Siquando intestinum una vel pluribus gangraenae maculis corruptum, caeteris partibus morbo carentibus, deprehendatur; in abdominis caveam vitiata parte versus externum vulnus reprimatur, curatione postea naturae viribus commissa. Mesenterium filo trajicere non necessarium est; chirurgi multi recentes enim testantur, annulum intestinum nunquam deserere. Quod si vero intestinum per suam totam diametron gangraena corruptum reperiatur, libere incidatur, ut sordes contentae effluere possint, quod aegri cruciatus magnopere diminuet. Ad extremorum intestini conjunctionem efficiendam, varii modi instituti sunt; quorum omnibus recentiores de Herniae scriptores, Petit scilicet, Lawrence et Scarpa, objiciunt; hi enim mirandis naturae viribus curationem in toto committunt: naturaeque operatio in conjunctione extremorum intestini efficienda a Scarpa luculentur describitur. Nihilominus notari meretur, Professorem Dupuytren novam et ingeniosam methodum

dum canalis alimentarii in ano inguinis continuitatem restaurandi invenisse. In utrumque intestini orificium forcipis extremum immittit; deinde, cochleam torquendo, frustum intestini superius atque inferius forcipis extremis comprimit. Frusti intestini superioris atque inferioris compressas partes primum coalescere, deinde gangraena occupari, hoc remedium facit; quo peracto, alterum intestini extremum alterius contenta accipit. Eodem consilio Carolus Bell proponit, acum linum trahentem in alterum intestini orificium immitti et ex altero educi. Herniotomiae operatione peracta, si viscera in abdominis caveam morbo vacua reposita fuerint, vulneris labia ad se invicem interrupta sutura et adhaesivo emplastro adducantur.

Hic pedem figens lectorem benevolum rogo, ut quae ejus censurae subjiciuntur, candide interpretetur; quin accuratius ac prolixius proponi potuissent, nemo dubitat: verum

"Autumnus quae dat, non ver producit et aestas."